



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens primos 25. Psalmos

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, [1761]**

**VD18 15558428-001**

Psalmus XXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)





corpus Cæleste, & caro humana supra Angelos, stupente ipsâ naturâ, conscendat. Rursus igitur introducitur Angelos interrogantes, *Quis est &c.* quibus responderet: *Dominus virtutum &c.* virium, potentiarum; quo nomine audito continuo aperiunt, & Regem gloriæ læti suscipiunt.

## PSALMUS XXIV.

**T**itulus: *In finem Psalmus David.*

Argumentum est oratio devotissima, quâ petitur remissio peccatorum. Et gratia bene vivendi. Convenit autem hæc oratio homini incipienti despiciere temporalia, qui sic tenetur desiderio placendi Deo, ut tamen laboret in concupiscentiis superandis.

*v. 1. Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam.*

Non inveniens quietem in creaturis, sed ubique spinas, & tribulos, pertæsus  
vitæ





vitaë prioris, animam meam abstractam ab affectu, quo inhærebat terræ, ad te, Domine, levavi, à te auxilium contra tentationes exspecto; & quia in te confido, non recedam à te confusus, auxilio non impetrato, ita ut coram inimicis meis cogar erubescere.

*Ps. 2. Neque irrideant me inimici mei, etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.*

Erubescerem certè, si irriderer ab inimicis, tum malis hominibus, tum Dæmonibus, tanquam qui frustra sperâssem in te; sed meo, & majorum exemplo didici, neminem à spe suâ excidere, qui patienter, cum certâ spe, à te auxilium exspectant.

*Ps. 3. Confundantur omnes iniqua agentes supervacue.*

Illi, qui ex malitiâ peccant, quia non cogitant pænitentiam agere, frustra à Deo sperant aliquid, quia spes eorum est præsumptio. Vel: confundantur inimici, dum cernunt se frustra iniquè egisse, ut me ad impâtientiam provocarent.

*Ps. 4.*





4. *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.*

Cupit doceri legem Dei, non speculative, sed practice: Da gratiam, quæ persuadeat voluntati, ut libeat implere mandata, & sic confundentur inimici mei, non ego.

5. *Dirige me in veritate tuâ, & doce me, quia tu es Deus Salvator meus, & te sustinui tota die.*

Idem repetit, & addit rationem: quia tu solus potes salvare animam meam, & quia perseveranter à te expectavi opem.

6. *Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt.*

Miseratio significat actum miserendi, & misericordia habitum virtutis. Sensus est: Reminiscere, te ab aeterno misericordem fuisse, imò etiam misereri solitum. Si Deus finit animam tentationibus agitari, videtur oblivisci, ideo ait: *reminiscere.*

7.





*Ps. 7. Delicta juventutis meae, & ignorantias meas ne memineris.*

Reminiscere misericordiae tuae, & obliviscere peccata juventutis. Obliviscitur Deus: si ita peccata remittit, ac si aeternae oblivioni mandentur. Addit ignorantias, seu peccata commissa ex infirmitate, & ignorantia, quia his magis convenit misericordia.

*Ps. 8. Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.*

Utrumque, quod petit *Ps. 6. & 7.* fiet, si Deus recordetur hominis peccatoris secundum misericordiam suam.

*Ps. 9. Dulcis, & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.*

Confirmat se in spe impetrandi opem Dei. *Dulcis* est Dominus, & ideo amat homines; *rectus*, odit peccata: ideo legem suam demonstrat, & persuadet delinquentibus in via hujus vitae, ut & ipsi justii, ac boni efficiantur.

*Ps. 10.*





ψ. 10. *Diriget mansuetos in iudicio,  
docebit mites vias suas.*

Legem dabit non omnibus delinquentibus, sed mansuetis, & mitibus, qui non resistunt Domino docenti, imò cupiunt doceri: hos ducet per viam rectam suæ legis, ut eum ament.

ψ. 11, *Universæ viæ Domini misericordia, & veritas requirentibus testamentum, & testimonia ejus.*

Lex, sive regula, aut modus, quo Deus procedit cum mansuetis, qui voluntatem Dei requirunt, ut eam observent, consistit in misericordiâ, & veritate, seu fidelitate, ut misericorditer promittat, & promissum fideliter impleat. Per *testimonia* intellige legem, quia per hanc testificatur nobis suam voluntatem. Per *testamentum* intellige pactum illud, quod fecit Deus cum hominibus, dum legem dedit, ut ipsi sint populus ejus, & ipse Deus eorum.

ψ. 12. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.*

Ut





io,  
in-  
as,  
nò  
e-  
e-  
us  
o  
-  
-  
i-  
-  
o:  
r  
.  
?  
t

Ut manifestetur misericordia, & veritas tua, propitiaberis &c. Multum vel ob multitudinem, vel ob magnitudinem, five gravitatem: parva enim peccata verè magna sunt ob Deum offensum.

✠. 13. *Quis est homo, qui timet Deum? legem statuit ei in via, quam elegit.*

Incipit narrare felicitatem ejus, qui Deum colit. Ille est homo timens, seu colens Deum, qui, dono Dei, elegit viam, quâ itur ad Deum, quæ est observatio mandatorum.

✠. 14. *Anima ejus in bonis demorabitur, & semen ejus hæreditabit terram.*

Hæc est felicitas timentibus Deum: ipse stabiliter bonis fruetur: si res bene cedent, fruetur bono prosperitatis; si contra, fruetur bono patientiæ, & spe magni præmii in Cælo; imò propter ipsum & filii ejus pacificè habitabunt in terra, & nemo eis nocebit, cum bonis omnia, etiam adversa cooperantur in bonum.

✠. 15.





✠. 15. Firmamentum est Dominus timentibus eum, & testamentum ipsius, ut manifestetur illis.

Ideo timentes Deum semper in bonis morantur, quia non in alio, quam in auxilio Dei fundatas habent spes suas & quia ex pacto, de quo v. 11., norunt, se in Deo, velut firmissimo fundamento quiescere posse.

v. 16. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Petit felicitatem timentium Deum. Assidue de Deo cogito cum spe auxilii, & ut spero, liberabit me ab omni periculo tentationum, quæ, velut laquei, semper animæ insidiantur.

v. 17. Respice in me, & miserere mei, quia unicus, & pauper sum ego.

Quia ipse Deum semper respicit, ut à Deo misericorditer respiciatur: quia unicus, desolatus, vel ab omnibus derelictus;



liētus; pauper, quia humilis erat, & se-  
 virtutibus, meritis vacuum arbitrabatur.

ψ. 18. *Tribulationes cordis mei mul-  
 tiplicatæ sunt, de necessitatibus meis  
 erue me.*

Per tribulationes, necessitates intelli-  
 ge tentationes, & molestissimas concu-  
 piscencias, quæ etiam invitos nos vexant,  
 & aliquando in peccatum pertrahunt.

ψ. 19. *Vide humilitatem meam, &  
 laborem meum, & dimitte universa  
 delicta mea.*

Pergit in oratione, ac petit sibi re-  
 mitti peccata, in quæ aliquando, tenta-  
 tione vincente, prolabitur, prout justus  
 septies in die cadit. *Humilitatem*, abje-  
 ctionem, & vilitatem: vilescit enim tibi  
 vehementer vir justus, quòd defectus,  
 quos evadere conatur, non evadat. *La-  
 borem* &c. Sordes studiosè flendo, &  
 orando conor abluere.

ψ. 20. *Respice inimicos meos, quo-  
 niam multiplicati sunt, & odio ini-  
 quo oderunt me.*

L

Jam





Jam alio argumento petit veniam peccatorum. Vidisti Domine, humilitatem, & laborem meum, vide etiam hostium meorum spiritualium multitudinem, & crudelitatem, qui odio iniquo & h. e. nocere student, tantum ut noceant, puta Dæmones.

Y. 21. *Custodi animam meam, & erue me, non erubescam, quoniam speravi in te.*

Cum non sufficio viribus meis tot hostibus resistere. ideo ad te recurro, ut tu custodias animam meam, & custodiendo liberes, & eruas de manibus, seu præferves, ne incidam in manus eorum.

Y. 22. *Innocentes, & recti adhæserunt mihi, quia sustinui te.*

Dixerat: non erubescam, quoniam speravi in te; rationem dat, cur timeat erubescere, si à Deo deseratur: quia scilicet multi viri innocentes, & recti, exemplo ipsius commoti, adhærebant illi ideo, quod videbant eum sperare in solo Deo: hi certè cogent eum erubescere, & confundi, si à spe suâ frustraretur.

Y. 23.





Ψ. 23. *Libera Deus Israel, ex omnibus tribulationibus suis.*

Postquam oraverat satis diu pro se, jam ut princeps, & caput, orat pro toto populo suo, ut populus secum liberetur ab omni genere tribulationum.

---

## PSALMUS XXV.

**T**itulus: *In finem Psalmus David.*

Argumentum idem est, quod Psalmi VII. : *Deum innocentiae suae testem adducit, petitque liberari ab exilio, eo quod nunquam Regnum invadere appetierit.*

Ψ. I. *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, & in Domino sperans non infirmabor.*

David cum Rege, nempe Saule, causam habens, Deum, Regem Regum, quodam modo appellat, cum alium in terris appellare non posset. Non finas, Domine, me à Saule judicari, tu sis judex